

lib. 7. En-
nead. 9. cir-
ca finem-

Babyloniae & *Sereticis* facinus recensere, quod Sabellicus recitat, qui scribit: *Quod cum sine omni justa causa Papa vestram urbem, omnesque subditos vestros, quia in fide permanebant, ita excommunicasset, ut pium, maximique apud Deum meriti esse affirmaret, si quis Vos jugularet, vestraque omnia raperet: & Vos tandem pacis ac pietatis studio per vestrum Legatum, qui postea Dux fuit, pacem & absolutionem ab eo peteretis, non prius eam Vobis concedere voluerit, quam Ducem vestrum coëgisse (proh nefas!) cum canibus, catena inctum, sub mensa, se epulante, ossa rodere. Quod non minus horribile atque abominandum est, quam cum Friderico Imperatori cervicem pedibus conculcasset. Ubi quæso tandem à CHRISTO, aut beato Petro, nefarius iste Antichristus, quorum se Successorem & Vicarium jactitat, tale mandatum accepit? Non CHRISTI Vicarii, imò ne Christiani quidem hominis id factum fuit, (nam CHRISTUS, & ejus Apostoli, omnem animam Magistratibus politicis parere severiter mandant, Apostolosque suos imperare prohibent) sed Antichristi potius de quo scriptum est in sacris literis, quòd Potestates, id est, Magistratus conculcabit, & contemnet. Detestandum profectò est, quod postremis hisce temporibus adeò iste Antichristus tyrannidem suam super omnes Christianos aggravaverit & exasperaverit, ut non solum omnium Dominorum, Regnorumque mundi sese Dominum jactet, totiusque mundi opes ad se per fas ac nefas rapiat; sed etiam eam potestatem in animas nostras, quæ CHRISTI preciosissimo sanguine redemptæ sunt, sibi vendicet: ut planè diabolica impudentia dist. 40. propalam asferere ausit, neminem sibi contradicere debere, etiamsi infinitas animas ad inferos secum in æternum cruciatum manifestè traheret. Si ipse Lucifer, Diabolorum & inferni Princeps in hanc hominum lucem prodiret, legemque aliquam publicè pro augendo suo imperio condere vellet, quam quæso tandem aliam, quam hanc ipsam, humano generi proponeret, quam ejus Vicarius, Romanus Antichristus, toti Ecclesiæ Dei servandam, adorandamque proposuit? Quare Serenissime Dux, Amplissimi ac Prudentissimi Senatores, cogitate per CHRISTUM, obsecro aliquando tandem, de excutiendo istius*

An-